

Rheinisches Urkundenbuch (Ed. Wisplinghoff) Nr. 320

(C.) Ille caducis rebus praesentis saeculi feliciter utitur, qui sibi ex his aeterna comparat praemia sciens, quod Christus dominus noster non in tantum conspicit muneris quantatema, in quantum devotionem offerentis. Ideo ego in dei nomine Alfuuinus ac dilecta coniunx mea Ada ad ecclesiam sanctarum virginum, quae est extra muros Coloniae civitatis publice constructa, ubi vir venerabilis Uuichfridus gratia dei archiepiscopus praeesse videtur, pro animae nostrae remedio et pro aeternae mercedis intuitu nec non et pro pia recordationis nostrae debito donamus nostram proprietatem et in proprium tradimus ac de iure nostro in ius et dominationem illius ab hodierna die transfundimus, ut haec eadem proprietas sanctis sororibus domino die noctuque fideliter ibidem famulantibus omni tempore proficiat in augmentis perpetualiter in dei nomine possidenda. Hoc est curtem I sitam in Kuningessundere in comitatu Euerhardi comitis in villa Birgidesstat dicta cum casis diversis, cum terra salaricia, pratis, campis, silvis, pascuis, aquis aquarumve decursibus, viis et inviis, exitibus et redditibus, quaesitis et inquirendis omnibusque rebus ad eandem curtem iuste legitimeque pertinentibus cum mansis XXX totidemque mancipiis utriusque sexus ea inhabitantibus, quorum haec nomina sunt: Ruothgoz et uxor eius Ruothuuich, Hupolt, Rateri et uxor eius Frithegart cum filiis III, Sigithrud et filius eius Rantalach, Heribolt, Uuarburch, Ruothrud, Uualdrat, Nitzo, Folcolf, Criemilt, Engila, Imma, Focka, Thiedo, item Uualdrat, Uuanburch, item Ruothuuich, Unano, Bougrat, Garaman, Uuerinbrat, Uuielant, Hugibrat; et cum duabus partibus ecclesiae inibi constructae et census exinde proveniendi ac terra salaricia, pratis, vinea et mancipiis ad eam pertinentibus nominibus his: Heio, Alfgart cum filiis suis. Iacent autem ipsa XXX mansa in subtersignatis locis: in praefata villa Birgidesstat VIII praeter terram salariciam, in Clopheim IIII, in Ersinesheim IIII, in Uuickaru IIII praeter terram salariciam et ecclesiam quae ibi constructa est, de qua annis singulis ad censum solvendi sunt solidi XV. In pago Achgouue appellato in comitatu Kuonradi comitis in villa Blitgeresuuilere VIII praeter terram salariciam. Haec itaque omnia praelibata ego supramemoratus Alfuuinus et dilecta coniunx mea Ada ad antedictam ecclesiam sanctarum virginum, ut iam dictum est, tradentes fuit nostra postpetitio, ut sanctimoniales ibi constitutae nobis ea in beneficium praestarent cunctis diebus vitae nostrae, quod et fecerunt ea videlicet ratione, ut ipsa tantum usualiter possideremus et non haberemus potestatem alicubi vendere nec condonare nec per ullum ingenium de parte saepememoratae ecclesiae abstrahere et ad censum exinde annis singulis ad missam sancti Martini solidos V de argento persolveremus et post nostrum quandoque de hac luce discessum cum omni melioratu et superaugmentatione illuc iterum reverterentur. Et ut haec quidem praestaria firmior stabiliorque manere possit, rogavimus hanc cartam inde conscribi manuque nostra subtus illam firmavimus manibusque bonorum et probabilium testium subternominatorum firmari fecimus.

Signum Alfuuini et Adae dilectae eius coniugis, qui hanc cartam donationis et prestariae fieri rogaverunt. Signum Uuichfridi archiepiscopi. Signum Euerhardi comitis. Signum Adalhardi comitis. Signum item Alfuuini. Signum Rathberti. Signum Ecquini. Signum Eremfridi. Signum Liuthberti. Signum Godefridi. Signum Rathpoldi. Signum Fritheboldi. Signum Hathageri. Signum Thruduini. Signum Ruothgancgi. Signum Uuoluini. Signum Nantarii. Signum Reginhardi. Signum Suithgeri. Signum Odrici. Signum Ruothgeri. Signum Megingozi. Signum Megizonis. Signum Branthog. Signum Folcmari. Signum

Uuiserici. Signum Ruothardi. Signum item Ruothardi. Signum item Megingozi. Signum Adalberti presbiteri. Signum Riparii presbiteri. Signum Gerhardi presbiteri. Signum Engilberti presbiteri. Signum Hildifridi presbiteri. Signum Ruothradi presbiteri. Signum Thiedonis presbiteri. Signum Hildiberti presbiteri. Signum Adae. Signum Lanzuindae. Signum Idisburgae. Signum Immae. Signum Hildiboldi. Signum Ruothpoldi. Signum Beroldi. Signum Heriradi. Signum Engilgeri.

Signum Thiedonis. Signum Otberti et (SR.)

Scripta IIII id. martii ab Heriberto presbitero atque cancellario et data anno dominicae incarnationis DCCCCXXVII, anno vero Heinrici gloriosi regis VIII; actum publice in civitate Uuormatia; in dei nomine feliciter amen.